

Monasterii arma offensiva, sive defensiva; non verò hac censura ligantur Religiosi alterius Religionis, etiam Canonici Regulares. Hanc conclusionem tenent Suarez, & Filiucius citato loco, Miranda in manuali, tom. 2. quest. 55. artic. 18. M. Lezana tom. 1. cap. 9. num. 27. Et probatur. Quia dicta Clementina statim in sui exordio de Monachis nigris loquitur; ergo de eis tota ejus dispositio, nisi aliud exprimat, est intelligenda. Deinde, quia ut ait Suarez citata disput. 23. sectione 5. num. 4. & 8. Textus loquitur de Monachis; verba autem in penalibus restringi debent, & non sunt extendenda ad alios Religiosos Mendicantes: nam Monachus derivatur à voce Græca, id est, Solitarius. Quod autem Canonici Regulares non comprehendantur, ex eo patet; quia cum Pontifex immediatè antea aliam excommunicationem posuisset contra Monachos ad Principum Curias venientes, expressè tunc nominavit Canonicos Regulares; non vero in hac contra arma tenentes, ut notat Glossa in dicta Clementina verb. Monachos. Ex quibus

Nota primò, quod cum in dicta Clementina sæpe ponatur verbum *presumpserint*, quod hac excommunicatione non ligantur tenentes arma in Monasterio bona fide vera, aut saltem putata, seu ignorantia, ita communiter Doctores, quos citant, ac sequuntur Castro Palaus *tomo sexto, disput. 3. de censuris, parte 33. numero quinto*. Nota secundò. Quod Monachus veniens ad Monasterium cum armis, & statim ea foras dimittit, non incurrit hanc censuram, quia ut notat Caictanus in *summa, verb. Tenere*, dicit continuationem, & perseverantiam. Nota tertio cum Suarez, Navarro citatis locis, cum quibus est Grassius in *decis. aureis, lib. 4. cap. 21. num. 19.* quod Monachus tenens arma in alio Monasterio distincto à suo non ligatur tali censura, quia mens Pontificis est ut non teneat arma secum. Nota quartò. Quod Sylvester, & Navarrus dicunt, cum quibus est Lezana *verb. Arma, num. 1.* Quod si Abbas nimum se videret in Monachos, licitum eis esset habere arma ad sui defensionem, hoc tamen non approbo, est enim aperire ostium ad multa mala contra Religiosam modestiam. Nota quintò, quod ab hac excommunicatione possunt absolvere Confessarii Ordinarii Monachorum, quia nulli est reservata, & ita omnes Auctores citati eam referunt inter non reservatas, ut Toletus in *summa, libro primo, c. 39. Navarrus in manuali, c. 27. n. 139. & alii.*

QUÆSTIO II.

Quid dicendum de Regularibus in statu Mediolanensi?

SUMMARIUM.

- 5 Decretum Congregationis circa statum Mediolanensem.
- 6 Hæc Constitutio obligat in statu Mediolanensi & non extra illum.

In dicto statu solum prohibentur arma expressa in dicta Constitutione. *ibid.* Comprehenduntur, qui ex dolo, & malitia faciunt. *Ibid.* Hæc excommunicatio est reservata. *Ibid.*

UT refert Naldus in *summa, verbo Religiosus, num. 50.* Sacra Congregatio Cardinalium: *Decrevit, ac statuit ne in statu Mediolanensi quisque Regularis cujuscunque Ordinis arma cujuscunque generis prohibita præsertim verò scilicet rotatos, tam longiores, quam etiam breviores intra Ecclesias, suave Monasteria in dicto statu tenere audeat, aut præsumat, sub pena excommunicationis lata sententia, quam sibi reservavit, ac insuper privationis Officiorum, & dignitatum, ac beneficiorum, ac inhabilitatis ad quacunque officia in posterum obtinenda ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, &c.*

Circa quod aliqua sunt notanda. Primò, quod hoc Decretum solum afficit degentes in statu Mediolanensi, non verò extra illum; ut patet ex ipso verbo *repetito statu Mediolanensi*. Ita Peirinis *tom. 2. Privileg. Minutorum, in Constitut. 4. Clement. VIII. n. 9.* Deinde secundo, in dicto statu Religiosus non prohibentur quæcunque arma, sed tantum expressa in dicto Decreto, ut patet ex ipsius verbis, unde alia arma, sive offensiva, sive defensiva, ut gladii, enses. Nota etiam tertio, quod cum in dicto Decreto dicatur, *non audent, vel præsumat*, solum excommunicatio ponitur contra audentes, ac præsumentes, unde solum in illa comprehenduntur, qui ex dolo, vel malitia arma gestaverint, vel tenuerint, non verò qui ex ignorantia id fecerint. Ita Pellizarius *tract. 7. cap. 21. n. 188.* Quartò, cum hæc excommunicatio sit reservata, tolli non potest nisi ab eo, qui habet facultatem absolvendi à censuris reservatis; de quo dicam cum de absolutio- ne censurarum fuerit sermo.

QUÆSTIO III.

Utrum Judex secularis, ejusve Ministri possint inventum Regularem cum armis prohibitis, eum ab eis spoliare?

SUMMARIUM.

- 7 Minister laicus inveniens Ecclesiasticum, non potest auctoritate propria eum tenere, ac capere, nisi animo statim presentandi suo Prælato.
- 8 Prima opinio affirmat inventum Regularem à Ministro laico posse ab eis spoliari.
- 9 Vera sententia negat.
- 10 Ecclesiasticus exercens venationem, vel piscationem prohibitam, non potest privari suis instrumentis à Ministro laico.
- 11 Ecclesiasticus inveniens cum armis prohibitis non potest resistere.

Minister laicus noctu, vel die inveniens Clericum, vel Religiosum cum armis, sive

sive cum habitu, sive sine illo, auctoritate propria abque facultate Sedis Apostolicæ, vel sui Prælati, non potest ipsum capere, ac tenere; hoc est enim, eis prohibitum in Bulla Cœnæ *cap. 16.* Potest tamen ipse minister secularis ipsum Religiosum capere, ac tenere consulens utilitati, ac quieti Reipublicæ, honori, ac decori Religionis, ne taliter ipse vagabundus degat, animo tamen deferendi eum, ac presentandi suo Prælato. Ita Bellestus, Bobadilla, Souza, Banez, Lorca, Diana, Barbola, quos citat, ac sequitur Diana *parte prima, tractatu secundo, de immunitate, Resolut. 11.* & ita observat Praxis. Adverte, tamen Barbola in suis *collectis, tomo primo, libro tertio, titulo primo, capite secundo, numero septimo*, Judicem secularem non posse Ecclesiasticum detinere in suis carceribus, nisi tantum ut ei infligat moraliter deferat ad suum Prælatum ne fugiat.

Magna difficultas est, an Judex laicus, vel ejus ministri possint privare, ac spoliare Regularem inventum cum armis prohibitis legè Principum, ac Regum? Affirmant multi ex Canonistis, ut Covarruvias, Azevedo, Plaza, Antonius Gomez, Cenedo, & ex Theologis, Rodriguez, Joannes de la Cruce, Banez, Grassius, Ortix, Lorca, Vasquez, & alii, quos citat Diana *parte prima, tractatu secundo, de immunitate, Resolutio 9.* Fundatur in eo, quia in tali casu Ministri hoc faciunt, non inducendo penam legis, sed faciendo ut lex servetur.

Opposita sententia, & omnino vera, quod Ministri talia facere non possunt, tenent multi Doctores, quos citat, & sequitur Barbola in suis *collectis, tomo primo, libro tertio, titulo primo, capite primo, numero sexto, & tomo secundo, libro quinto, titulo 39. cap. 25. numero quarto.* Bonacina *de leg. tomo secundo, disputat. 10. questione 2. punct. 1. §. 1. num. 2.* & alii, quos citat, & adducit Diana allegatus, & Lezana *verb. Arma, numero quinto Pellizarius tomo secundo, titulo octavo, cap. 6. numero duodecimo.* Layman, libro quarto, *tractatu nono, capite quarto, numero septimo*, adducens pro se Suarezium. Et ratio est, quia licet Ecclesiastici subiciantur legibus civilibus pro publica civitatis quiete quod vim directivam, non tamen quoad coactivam, armorum autem spoliatio, & amissio continet violentiam, ac superioritatem, ac rationem pœnæ, quæ non potest exerceri à Judice seculari propria auctoritate, & ideo res deferenda est ad Episcopum, vel Prælatum Regularem, à quibus talis Ecclesiasticus suis armis spoliandus est.

Ex quibus nota. Primò contra Villalobos in *summa, tomo secundo, tract. 18. difficult. 16. n. secundo, tractatu octavo, capite nono, conclusio- ne 33.* Cenedum in *collectis juris, parte prima, collect. 37. num. 19.* asserentes Clericum exercentem prohibitam venationem, vel piscationem posse spoliari à Judice seculari; vel à suis Ministris, avibus, vel canibus, vel aliis instrumentis quod non est dicendum, cum illud sit exercere actum jurisdictionis, ac violentiæ in

Ecclesiasticum, sed res referenda est ad suum Prælatum.

Nota secundò contra Ricciū *part. 3. decis. 299. per totam.* An Clericus ferens arma possit resistere cum armis Ministro laico, volenti eum capere? Respondet affirmativè. Contrarium tamen dicendum est, non enim custodienda est Ecclesia Dei more Castrorum, sed res deferenda est ad Prælatum Ecclesiasticum. Nota tertio contra Vasquez *1. 2. disp. 167. cap. 4. num. 31.* Ubi excipit casum, in quo armorum usus prohibitus est, tanquam Reipublicæ perniciosus, itaut nequeant domi retineri, tunc ait ipse, à Civili Magistratu pro defensione suæ legis poterunt etiam vi arma auferri ab Ecclesiastico; sed ego dicam, quod prius superior Ecclesiasticus certior de hac re est faciendus, ut talia arma auferat à suo inferiori, et si superior Ecclesiasticus non adhibuerit opportunum remedium, tunc auferenda à Magistratu civili pro conservatione Reipublicæ ex vi legis naturalis.

QUÆSTIO IV.

An urgente necessitate Ecclesiasticus, seu Regularis possit uti armis etiam prohibitis?

SUMMARIUM.

- 12 Ecclesiasticus potest secum portare arma etiam prohibita ad evitandum periculum suæ vitæ, suarumque rerum.
- 13 Si in proposito casu percutiat, & occidat, non incurrit irregularitatem.

Deo in hac difficultate, quod urgente necessitate, verbi gratia, si Clericus, vel Regularis timeret sibi mortem ab inimicis, vel latronibus, aut spoliari à suis rebus, licitè potest, non solum communia arma; sed etiam specialiter prohibita secum portare, si tantum periculum aliter non potest evitari, jus enim naturale conservandi propriam vitam, resque suas omni positiva legi præferitur, Molina *tom. 1. de justitia, disputat. 108 §. Primus casus.* Grassius *decis. aureis, part. 2. lib. 2. cap. 20. §. Tertio sciendum.* Barbola *de Officio Parochi, cap. 6. num. 53.*

Si autem tunc percutiat, ac occidat pro conservatione propriæ vitæ, certum quod nullam incurrit irregularitatem, ut deciditur in Clementina *si furiosus de homicidio*, & communiter supponunt Auctores, & specialiter Suarez *tom. 5. de censur. disp. 47. sect. 6. num. 1.* Sic & etiam qui alterum occidit in defensionem suarum rerum, irregularitatem non incurrit, ut docent Coninch, *disp. 18. de censuris, num. 89.* Filiucius *tract. 19. num. 151.* Portel, *in dubiis, verb. Homicidium, n. 34.*

Suarez, Filiuc. Miranda, Lezana.

Glossa.

4.

Palaus.

Sylvest. Navarr. Lezana.

Naldus, S. Congreg.

6.

Peirinis.

Pellizari.

Bulla Cœn.

Bellestus, Bobadilla, Souza, Banez, Lorca, Diana, Barbola.

8.

Covar. Azeved. Plaza, Gomez, Grassius, Rodrig.

9.

Barbola.

Bonacina.

Diana, Lezana, Pellizari.

Layman.

10.

Villalobos, Ledesma.

Cenedum.

11.

Riccus.

Vasquez.

12.

Molina.

Grassius, Barbola.

13.

Clementin. Si furiosus, Susr.

Coninch, Filiucius, Portel.



RESOLUTIO XIII.

Explicantur quadam Axiomata, qua frequenter veniunt apud Regulares.

QUESTIO PRIMA.

In Religione non servantur apices juris, sed solum qua sunt de substantia juris.

SUMMARIUM.

- 1 Religiones habent privilegia, ut in eis non observentur apices juris, & n.2.
2 Quinam communiter dicantur apices juris.
4 Quoniam sint de substantia juris.

DE Axiomatibus juris varii Auctores varios tractatu ediderunt, & maxime Augustinus Barbofa in tom. eius Titulus est Tractatus varii;

Nos vero pauca ponimus usu frequentiora. Bonifacius VIII. Fratribus Minoribus concessit, ut in suis iudiciis, & processibus non teneantur servare apices juris. Habetur Bulla in libris Monument. Ordinum fol. 125. & post medium Bullae sic concessit Papa.

Nos pii vestris supplicationibus inclinari, vobis auctoritate Apostolica indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones Fratrum ejusdem Ordinis delinquentium infligendas, Praelati Ordinis supradicti (ad quos eadem spectare noscuntur) rimalis juris, & apicibus ejus post positus libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, vel facienda ipsius Ordinis statuta. Neque volumus eisdem licere Fratribus, ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare &c. Ita Summus Pontifex, de quo privilegio per communicationem participant aliae Religiones.

Apices ergo juris sunt dilationes tot, & tantorum dierum, ut ait Clemens Papa V. In Clementina sapere contingit de verborum significatione, dicens: Inter apices juris censentur dilationes, imò & quod testes publicentur: nam in Tribunali Sanctae Inquisitionis, ubi omnia, quae sunt de substantia juris, perfectissime observantur; tamen testes non publicantur, quia non sunt de substantia juris, & alia similia.

De substantia juris est, ut pars citetur, actorum copia detur; testes proferantur, ac examinentur. De quo Gratian. decis. 68. n. 12. Menochius de arbitr. l. 1. q. 5. n. 4. & conf. 25. n. 12. conf. 263. n. 3. Marra de claus. 368. Caldas Pereira de empr. c. 3. n. 30. & alii multi, qui etiam omnes notant, quod maxime de jure divino ac naturali est, ut reus audiat juxta illud Joan. 7. n. 1. Nunquid lex nostra iudicat homi-

nem, nisi prius audiat ab ipso, & cognoverit, quid faciat.

QUESTIO II.

Ex quibus argumentum sumendum, ac formandum sit?

SUMMARIUM.

- 5 Argumentum ejusdem qualitatis cum suo principali.
6 In jure valet argumentum à simili.
7 Equipollentium eadem est disciplina.
8 Animus dignoscitur ab operibus.
9 Actus agentis non operatur ultra intentionem.
10 Subrogatum sapit naturam ejus, in cuius locum subrogatur.

Argumentum debet esse ejusdem qualitatis cum suo principali, cui accedit, lex etiam, Cod. de jure Dotum. leg. 3. ff. de pactis dotalibus; Bartholom. Perez ad Extravag. Ambitiosa, de rebus Eccles. non alienand. Baldus consilio 407. in quaestione, num. 3. Tiraquellus de retractu Lignag. §. 1. Glossa 18 numero quinquagesimo primo, quinquagesimo secundo; & alii multi, quos citat Barbofa Axiomat. 34. n. 1.

Secundò. In jure valet argumentum à verisimili, illudque pro disposito habetur, quod verisimiliter fuisset dispositum, si disponens, verbi gratia, superior fuisset de illo interrogatus. Baldus, Paulus de Castro, & alii in leg. Tale pactum, §. fin. ff. de pactis & Sapiientissimus Mag. Fr. Antonius de Sousa in Aphorism. Inquisit. lego quarta, cap. 9 num. 7.

Tertiò. Equipollentium eadem est disciplina, l. si mater; cum Glossa, Bartolus Cod. de institutione, & alii cum Lezana consultat. 30. num. 26. Et idem est. Ubi militat eadem ratio, stat eadem legis dispositio, leg. Illud, ff. ad l. Aquiliam, l. si postulerit, §. 2. ad legem Juliam, de Adulteris, l. Quidam nummularios, ff. de edendo: unde ille, qui Missam celebrat absque Ordine Sacerdotali, incurrit irregularitatem, & deinde alias penas impositas in jure.

Quartò. Animus dignoscitur ab operibus operantis, & talis praesumitur, qualem facta demonstrant, leg. 1. §. fin. ff. de dolo. Mascardus de probationibus, conclusio 95. numero primo, & sequentibus, consilio 1304. numero vigesimo quarto. Farinacius in praxi criminis quaestione 89. num. 76. & Maxime si verba etiam junguntur, quia ex illis etiam cum operibus bene dignoscitur animus, & intentio hominis, l. Labeo, ff. de supellest. legat. cap. Secundo requirit, de Appellationibus. Albanus consil. 119 & consil. 626. numero nono. Sardus consil. 82. num. 33. & consil. 471 num. 33. Quod fortius procedit, cum verba, opera, seu facta non solum antecedentia; sed consequentia fuerint. Rota decis. 64. num. 5. part. 2. & decis. 306. num. 5. part. 2. rebent. Menoch. consil. 1. num. 294. ac sequent.

Quintò,

Quintò. Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, leg. Non omnis, ff. si certum petatur, l. in agris, ff. de acquirend. rerum dominio, & actus semper iudicatur à principali intentione agentium, l. si quis nec causam in principio, ibi Baldus ff. si certum petat l. qui exceptionem, ff. de conditione indebiti, l. 1. C. ad legem Cornel. de Sicar.

Sextò. De uno ad aliud non potest fieri illatio, nisi quando sunt ejusdem rationis, diversorum enim diversum est iudicium, l. inter stipulationem, §. Sacram, ff. de verb. obligat. Stephan. Gratian. decis. 32. num. 8. Unde Emmanuel. Sa ait: Praelati exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in suos, non possunt in eos quicquid possunt Episcopi in sibi subditos, nisi ex speciali indulto Sedis Apostolicae.

Septimò. Subrogatum sapit naturam ejus, in cuius locum subrogatur, l. si injuriarum, ff. si quis cau. ibi Bartolus, Baldus, Angelus, & alii: quod intelligitur, quando subrogatus est aequalis conditionis cum eo, cui subrogatur. Menoch. consil. 784. numero duodecimo, Barbofa Axiomat. Juris, Axiomat. 273. numero primo, unde inter Generalem, & Vicarium Generalem militat differentia. De quo latè Lezana in Consil. consil. 18. numero vigesimoprimo.

QUESTIO III.

Ex quibus praesumptiones efformanda?

SUMMARIUM.

- 12 Delictum in dubio non praesumitur.
13 Factum non praesumitur, nisi probetur.
14 Geminatio actus enixam voluntatem indicat.
15 Probabilis suspicio metus sufficit ad irritandum actum.
16 Tacens longo tempore consentire praesumitur.
17 Veritas praevalet praesumptioni.
18 Praesumptio fortior tollit debiliorem.

Primò. Delictum in dubio non praesumitur, & ideo actus, qui potest sonare delictum, interpretandus, ut delictum absit, l. Adverito ff. pro socio, l. Praior, §. docere, ff. de vi boni rap. cap. Hoste de regulis juris in Decret. Ibi etiam Doctores, Adeo ut interpretatio semper faciendae sit, ut excludat delictum Abbas in cap. Cum tu de testibus, Mascardus de probationibus, conclus. 496. Farinac. in praxi criminali, part. 3. q. 85. n. 1.

Secundò. Factum non praesumitur nisi probetur, in bello §. facta, ff. de captivis, & post lim. revers. l. si emancipat. 9. ubi Jafon, & alii. Nihil inde inferri potest. Deinde quia factum contra jus, pro non facto habetur, l. subemas, §. Prædica, Cod. de Sacrosancta Eccles. cap. Qua contra jus 64. de regulis juris, lib. 6. Tandem quia factum non attenditur, sed quod debuit fieri, leg. Nemo, Cod. de sentent. & interlocut. & ita de facto revocandum, quia facta de facta Sylveira Opuscula.

Acto, etiam sunt revocanda de facto juxta notat. in l. 1. §. Nuntiatio, ff. de novi oper. & nuntiar. in cap. 1. ut lite pendente Alexand. Alexander. consil. 179.

Tertiò. Geminatio actus enixam voluntatem, & majorem deliberationem indicat, l. Balista, ff. ad Trebellian. Bartol. in l. Cum scimus, num. 7. Cod. de Agricult. & censibus, lib. 11. Decius in l. 1. num. 30. C. de paltis, & consil. 51. cap. 2. & consil. 180. col. 3. multi alii apud Barbofam tractatu de Axiomat. Juris, Axiomat. 195. n. 1.

Quartò. Justa, & probabilis suspicio metus ad irritandum actum sufficit, quia illa habetur pro vero metu Baldus in leg. fin. num. 7. Cod. de jure delib. Remin. Sen. consil. 15. num. 6. Alban. consil. 77. num. 11. quos citat ac sequitur Rota decis. 374. num. 18. coram Gregorio XV. & Sigism. de bono, supra num. 15. Quae enim sunt per metum non solum irritari debent, sed etiam pro jure irritae sunt, c. Bona memoriae, de elect. Navarrus consil. 5. n. 2. Navarr. Miranda in manuali Praelatorum, tom. 2. q. 23. Miranda art. 1.

Sextò. Tacens longo tempore consentire praesumitur. Baldus in l. si filius, Cod. de petiti. hereditatis. Angelus in l. qui aliena, in principio, ff. de acquirenda hereditate, Alexander in leg. 2. §. voluntate, ff. solutio matrimonio Mascardus de probation. volum. 3. consil. 218 num. 50. & tacens per longum tempus juri suo consentire praesumitur, ut per Rotam; & Doctores probat idem Mascardus conclusione 1263. numero 27.

Septimò. Praesumptio cedit veritati, quia veritas praevalet praesumptioni, quod ex multis juribus probant Socin. consilio 164. Paris. volum. 5. vers. Sed hanc objectionem. Parisius Roand. consil. 29. num. 44. lib. 2. Rolandus à Valle consil. 99. num. 11. lib. 1. Sardus consil. 7. num. 61. & consil. 16. num. 22. & alii multi apud Barbofam Axiomat. 186. num. 1. Unde inferitur, praesumptiones cessant in claris Anton. Menoch. decis. 51. n. 49.

Octavò. Praesumptio fortior tollit debiliorem, l. Divus, ff. de integritate restitut. l. Non solum, ff. de ritu nupt. latè Menoch. de praesumpt. lib. 1. praesumpt. 30. num. 1. & consequentibus, & lib. 6. Gratian. praesumpt. 64. num. 46. Stephanus Gratian. tom. 4. cap. 611 n. 33.

QUESTIO IV.

Quomodo in dubio habendum sit?

SUMMARIUM.

- 19 Actus in dubio debet interpretari validus ad omnem dispositionem.
20 Reus in dubio est absolvendus.
21 Dubia in meliorem partem interpretanda.
22 In dubiis tutior pars eligenda, & etiam dubius ab ignorante non distat.

Primò. Actus in dubio debet interpretari, ut validus habeatur, l. Quoties, ff. de rebus dubiis, leg. si quando, ff. de legatis 1. abbas in Abbas. consil. 62. in contrav. conclus. 1. num. 7. Roland. Roland. à Valle.